

egeno, nec non casum quo pro alia causa pia fidejussio fieri debeat, quia uti innuebamus clericus in usus pios impendere debet fructus superfluos beneficii sui. A fortiori ergo potest eosdem fructus fide jubendo obligare pro pauperibus ex necessitate aut pro aliqua causa pia. At si fidejussio fiat de ipsis bonis, requiritur solemnitas juris quæ pro alienationibus necessaria est.

4. Prælatus juxta cit. c. 2. *De Solut.* non potest fide jubere de bonis mensæ vel Ecclesiæ suæ, nisi id faciat in utilitatem ipsius mensæ vel Ecclesiæ, et servatis solemnitatibus quæ in alienationibus rerum Ecclesiasticarum requiruntur.

Religiosi, qui possessioni legitimæ renunciarunt non possunt fide jubere, nisi ex consensu prælati et capituli monasterii, et fidejussio debet esse non in commodum individuale ipsius prælati, aut religiosi sed Ecclesiæ vel monasterii c. 4. h. t.

5. Obligatio fidejussoris est relativa obligationi debitoris principalis. Hinc non plus obligatur quam sit obligatus debitor principalis. l. 8. § 7. ff. h. t. Quare si ex facto ex. gr. ex remissione creditoris contingat liberari debitorem, eo ipso eximitur etiam fidejussor ab obligatione sua etiam solidali.

6. Tria vero beneficia jus concedit fidejussori: scilicet excusationis, divisionis et cedendarum actionum. Primum beneficium de quo jam superius innuimus est ut si fidejussor actione percellatur a creditore, jure exigere possit ut antea excutiatur debitor principalis. Quod beneficium non competit fidejussioni solidali, nec a simplici fidejussore potest invocari, si notorie constet debitorem principalem solvere non posse. Secundum beneficium est divisionis quo scilicet si plures simul fidejusserint, et unus pulsetur ad totum solvendum debitum, hic potest exigere ut etiam alii pro eorum rata portione in jus vocentur. Tertium beneficium est ut fidejussor qui solvit, possit etiam judicialiter cogere creditorem ut sibi cedat omnes actiones, et eorum titulos, et instrumenta creditum resipientia tum contra debitorem principalem tum contra alios con-fidejussores, si adsint.

7. Quæritur utrum nondum facta solutione debiti possit fidejussor liberari ab onere fidejussionis?

In genere non potest quia obligatio fidejussoris est subsidiaria, et proinde perseverat quoadusque non defecerit obligatio principalis. Hinc transit etiam ad hæredes ejusdem fidejussoris. At in cap. ult. h. t. Greg. IX. tres casus adsignat in quibus fidejussor

potest petere liberationem etiam judicialiter a fidejussione, et debitor præstare tenetur etiam nondum soluta principali obligatione. Primus casus est si debitor nimium differat debiti solutionem. Non enim fidejussor præsumitur se voluisse obligare in perpetuum. Quenam vero sit mora necessaria ad concedendam liberationem fidejussori judex decernet. 2º. Si debitor dissipare incipiat bona patrimonii sui. 3º. Si fidejussor condemnatur ex sententia judicis ad debitum solvendum, potest etiam ante debiti solutionem statim agere contra debitorem principalem, ut debitor eum liberet a molestiis seu a fidejussione. Obtenta liberatione cessat fidejussio quemadmodum etiam finitur fidejussio 1º. si novatio obligationis efficiatur inter debitorem principalem et creditorem, inconsulto fidejussore. Ex. gr. si quæ debebat ex mutuo incipiat debere ex conductione, vel ex empto. 2º. Si in contractu tempus vel conditio apposita fuerit ad finiendam obligationem fidejussoris, ita ut scilicet aliquis fidejusserit solummodo ad certum tempus vel quoadusque non fuerit verificata aliqua conditio. Si vero creditori, inconsulto fidejussore, prorogare placuerit diem solutionis debiti, non amplius tenebitur fidejussor in securitatem debiti, cui obligatione sua accesserat.

TITULUS XXIII.

De solutionibus.

1. Si fidejussio securitatem creditori procurat, solutio plene ejus juri satisfacit ac debitum extinguit. Solutio definitur 'Idonea præstatio debiti tempore, et loco convenienti legitime facta'. Definitio hæc exhibet veram debiti extinctionem, quæ non haberetur si præstatio non esset idonea, nempe si esset incompleta, vel non fieret loco, et tempore convenienti; nam facta solutione debiti principalis, adhuc reddi deberet indemnus creditor pro expensis vel incommodis, quæ exinde eidem obvenissent.

2. Si queratur quinam solvere teneatur, in genere respondendum est, teneri eum qui debitor est, seu quicumque obligatur nulla facta distinctione status clericalis, vel laicalis et sexus: agitur enim de materia justitiae, quæ clamat, unicuique suum esse reddendum.

3. Hinc etiam clerici suis, et Ecclesiarum oneribus satisfacere debent. Quid vero si prælatus, vel rector Ecclesiæ vel beneficii

possessor non solverit? Teneturne successor obligationibus seu debitis prædecessoris satisfacere? Profecto si debita contracta fuerint per modum obligationis, adhibitis solemnitatibus juris, nullum dubium est debita illa gravare ipsam Ecclesiam, vel beneficium; ac proinde ad successores transeunt.

4. At quid si debita fuerint absque solemnitatibus juris contracta? 1º. Successor non tenetur solvere debita contracta ab antecessore in sui commodum, seu pro privata sua utilitate aut ex alio titulo c. 2. h. t. et arg. c. 1. *De deposito*. Accedit ratio generalis ex principio: 'Antecessor non potest deteriorem reddere conditionem successoris'.

5. At quid dicendum de aere alieno contracto in utilitatem Ecclesiæ, et insuper quid dicendum si possessor beneficii expensas fecerit, sed vacante beneficio adhuc aliquid solvendum sit ratione illarum expensarum? Distinguendum est. Expensæ istæ optimo jure censendæ sunt tamquam obligatio personæ possessoris et per consequens, possessore deficiente, ejus hæredes tenentur residuas expensas nondum solutas præstare. Ratio hujus conclusionis in eo reponenda est, quod nempe actualis possessor beneficii, ceu usufructuarius bonorum debet ex fructibus beneficii ordinarias, et necessarias expensas facere ad bona beneficii et ad jura beneficii conservanda et tutanda. Quod si expensæ a possessore factæ fuerint tales, quæ superent vires beneficii et fructus bonorum beneficii ipsius, hoc in casu deficiente actuali possessore, si nondum omnes expensæ solutæ fuerint, quæ remanent, solvendæ sunt a novo successore: etenim quisque possessor beneficii non tenetur ultra vires beneficii expensas tolerare idest non tenetur supplere de suis bonis patrimonialibus defectui beneficii. Ergo expensæ hujusmodi magni momenti censemur optime esse onus seu obligatio ipsius beneficii. Quare etiam successor tenetur isto onere quoties non fuerit satisfactum eidem: et in hoc sensu optime Alexander III. disponit in c. 1. h. t. Sicut filius debita patris solvere tenetur, ita prælatus debita sui prædecessoris pro Ecclesiæ necessitate contracta. Conf. Reiffenst. h. t. n. 16. et seqq. Hæc vero regula valet quidem re theoretice inspecta: at in praxi servatur norma superius posita, ita nempe ut gravare censeantur ipsum beneficium et per consequens etiam successores solummodo ea debita quæ contracta fuerint cum solemnitatibus juris. Cætera enim præsumuntur talia quæ potuissent a possessore beneficii persolvi ex ordinariis fructibus beneficii.

6. Ad rem facit quæstio resoluta a S. Congr. EE. et RR. die 28. Aprilis 1865. Cujus species hæc erat. Capitulum in insula Siciliæ ad sua jura tuenda judicium annis 1825 et 1855 subire coactum fuit. Expensæ quas toleravit ingentem summam ductorum 1176 attingebant. Existimans autem Capitulum istas expensas, quæ factæ fuerant ob utilitatem Ecclesiæ solvi debere non solum a præsentibus Canonicis, sed etiam a futuris, onus eas solvendi rejecit in ipsam massam capitularem, debitum fructiferum contrahendo. Hunc contractum in forma publica per acta notarii initum Vicarius Generalis, inscio Archiepiscopo tum graviter ægrotante, probavit. Archiepiscopus inde convalescens ea quæ gesta fuerunt a Capitulo nullius esse valoris dixit eo quod servata non fuerat forma in Const. *Ambitiosæ De Reb. Eccl. alien. vel non designata*; idest eo quia requisitum non fuerat beneplacitum Apostolicum. Deinde post varias vices, tandem Canonici S. Congregationi quandam modum proposuerunt ad debitum contractum extingendum. Videlicet statuerunt illum solvendum esse annuis ratis intra decennium. Causa discussa est, et proposito dubio: 'An, et quo modo supplicandum sit SS^{mo} pro approbatione propositi modi extinctionis debiti in casu', S. Congreg. respondit 'Affirmative pro sanatione impositionis præfati debiti, et pro approbatione propositi modi extinctionis; ita tamen ut si actuales Capitulares integrum debitum non extinguant, teneantur eorum successores'.

Infertur ex hac decisione, debitum expensarum litis eo quod defuerat beneplacitum Apostolicum, invalide massæ Capitulari fuisse impositum, et illam impositionem indiguisse sanatione Apostolica ut obligaret successores. Quare sequens regula deducitur: ad solvendas expensas litis pro juribus capitularibus tuendis toleratas non teneri massam capitularem nisi capitulum præventive obtinuerit beneplacitum Apostolicum, nec proinde posse Capitulum sine eodem beneplacito debitum contrahere in præjudicium massæ capitularis, et obligare successores quamvis id faciat ad reintegrandas graves expensas toleratas pro juribus capitularibus defendendis. Hoc enim onus impositum massæ capitulari constituit speciem alienationis. Conf. Acta S. Sedis vol. 1. pag. 557.

7. Quid vero si is, qui solvere teneretur, sit non solvendo?

Si debita fuerint contracta ex vitio adversæ fortunæ a jure Romano datur remedium cessionis bonorum. Scilicet debitor bonis suis quæ adhuc habet, valedicere, eaque judici remittere tenetur

ut creditoribus tribuat juxta capacitatem bonorum eorundem; ipse vero debitor promittere debet se praestitum quod deest si ad pinguorem fortunam devenerit l. 4. ff. *De Cession. bonor.*

8. Jus vero canonicum aliquantisper dispositionem immutavit relate ad clericos debitores, induxitque privilegium *competentiae seu deducto ne egeat*, quod cum *cap. Odoardus 3. h. t.* sit introductum, dicitur etiam privileg. ex *cap. Odoardus*. Species capitis est: Clericus quidam nomine Odoardus in diœcesi Remensi debita contraxerat cum pluribus. Creditores convenerunt eum coram officiali Archidiaconi Remensis. Odoardus confessus est debita, at declaravit se propter inopiam ea solvere non posse. Officialis nihilominus in eum sententiam tulit excommunicationis. Odoardus persentiens se ex sententia illa gravatum conquestus est apud Summum Pontificem Gregorium IX., qui judices delegavit iisque mandavit ut si constitisset, Odoardum solvere non posse debita in parte, vel in toto, reciperent ab eo idoneam cautionem qua sponderet se debita illa soluturum si ad pinguorem fortunam devenisset et deinde relaxarent sententiam tribunalis archidiaconi Remensis.

9. Quæ decretalis ut intelligatur sciendum est hodierno jure post dispositionem Tridentinam in c. 3. sess. 25. *de Ref.* censuras in judiciis non esse adhibendas nisi in subsidium alterius cuiusque remedii civilis, puta captionis pignoris, executionis realis, distinctionis personæ. Immo usus censoriarum in judicialibus negotiis prorsus disparuit. At veteri jure potuisset etiam in causis civilibus tribunal ecclesiasticum adhibere censuras quoties reus contumaciter restitisset præcepto judicis ceu traditur in c. *Dilecto. De Sent. excomm. in 6º.* Quod si censoræ sortitæ non fecissent suum effectum, ceu remedium subsidiarium adhibebatur incarceratio, vel districtio personalis. Quoad excommunicationem insuper animadvertisendum est solitos fuisse judices censuras decernere non solum cum contumacia esset vera, et certa, sed etiam cum esset præsumpta. Quo in casu perdurabat vinculum censoræ quoadusque patuisset reum non fuisse contumacem. Quoniam vero in specie capitis non evidenter constabat utrum jure, vel immerito Odoardus mandato judicis de solvendis debitis non obtemperasset hinc sententia tribunalis valida per se erat. Quare Pontifex non mandavit ut nulla declararetur sententia, sed præcepit ut relaxaretur quoties de clericis inopia constitisset.

Quo posito, cum excommunicatio esset remedium ordinarium quo clericus adigeretur ad obsequendum præcepto judicis de solvendis debitis, hinc relaxatio sententiae idem erat ac liberatio clerici a molestiis judicialibus quoad debitorum solutionem. Hinc merito doctores inferunt ex dispositione *cap. 3. h. t.* clericum qui non possit contracta debita solvere a judicialibus molestiis eximi.

10. Insuper cum censeatur non posse in solutionem debiti aliquid impendere, qui vix possideat necessaria pro sua sustentatione, hinc inferunt doctores in privilegio *cap. Odoardus* etiam comprehendi exemptionem clerici, propter ejus honestam sustentationem, ab actione judiciali, quoad eam partem substantiae suæ, quæ ad ejus sustentationem necessaria est. Quare concludunt doctores clericum exemplo romani militis privilegio *competentiae* gaudere, seu privilegio quo salva semper remaneat portio substantiae competens pro honesta sustentatione. Ergo clericus privilegium habet ut si debita solvere ob inopiam nequeat, non possit excommunicari et incarcерari aut aliter molestiis urgeri, et, si bona possideat, non cogatur omnibus bonis cedere, sed semper reservetur portio necessaria pro honesta ejus sustentatione seu deducto ne egeat, præstata tamen idonea cautione, ut si ad pinguorem fortunam devenerit contracta debita solvere teneatur. Idonea autem cautio in sensu juris esset vel pignoratitia, vel fidejussoria; at ipsa glossa in *hoc capite v. idonea animadvertisit*, hanc duplēm cautionem in casu clerici ære alieno gravati haberi non posse. Hinc sufficit cautio juratoria, quæ quoad clericum qui bonæ fidei supponitur, non minimi aestimanda est, per eam enim clericus censetur facere quod potest ad debitum solvendum *can. Faciat. c. 22. q. 2.*

11. Ut vero clericus privilegio *competentiae* gaudeat requiruntur nonnullæ conditiones. 1º. Ut clericus non sit uxoratus; nam ut supra vidimus in *tit. De cler. conjug.* Clericis conjugatis reservatur solummodo duplex privilegium canonis, nempe et fori. Bonifacius enim VIII. in c. *un. eod. tit. in 6º.* ait: *In cæteris eos gaudere nolumus privilegio clericali;* 2º. ut clericus confiteatur debita sua; hinc si clericus ex malitia debita deneget, et convincatur, privilegio frui nequit. Nam privilegium hujusmodi suam formam recipit ex *cap. Odoardus* in quo clericus ingenua sua debita confessus est; 3º. ut debita proveniant ex contractibus, et negotiis civilibus, non vero descendant ex delicto, vel quasi delicto.

Ita ex sensu capitinis, in quo nulla mentio est de judicio criminali sive criminaliter acto sive civiliter, nec de poena ratione delicti, vel dolosae actionis debita. In hac exceptione doctores optimae notae comprehendunt etiam clericum qui in ludis prohibitis, vel in mala vita conversatione bona sua dissipaverit; 4^o. ut pulsetur actione personali, nam est privilegium personae. Hinc non gaudet hoc privilegio clericus qui percellatur actione reali, qua actor rem suam tamquam dominus recuperare nititur. Ex. gr. si clericus sit debitor ratione depositi et a deponente restitutio rei expostuletur. In debito autem personali hypothecario clericus privilegio gaudet, quia debitum hoc principaliter est personale, et hypotheca solummodo accedit in securitatem solutionis. Dixi in debito personali clerici. Nam si creditor persequeretur penes clericum actione reali rem vinculo hypothecae ligatam a priore domino quam nunc clericus possidet, non videtur posse invocari privilegium competentiæ favore clerici. Ratio est, quia res transit cum onere suo, nec conditio creditoris fieri debet deterior, eo quod res vinculo hypothecario subjecta a priore domino transit ad clericum.

12. Quærunt doctores utrum valeat renunciatio quæ huic privilegio fiat a clero aere alieno gravato. In *tit. pen. De pact.* exhibetur principium, unumquemque posse privilegio suo renunciare. Hinc non desunt qui dicunt, sustineri hanc renunciationem. Verum magis recepta est contraria sententia quæ tenet hanc renunciationem non valere quia privilegium competentiæ non est inductum proprie in favorem individualem personarum juxta sensum *t. penult. cit. lib.* sed potius consideratur ceu privilegium, introductum in favorem totius ordinis clericalis ne clericus debitibus oneratus in dedecus cætus ecclesiastici judicialiter plus æquo vexetur, et cogatur victimum sibi mendicare. Hæc sufficient de iis qui solvere tenentur.

13. Quid vero si solvit is qui solvere non tenebatur? Conceditur eidem condicione indebiti. Condicere in casu idem est ac repetere actione personali in judicio id quod indebite fuit solutum; scilicet quod solutum fuit sine onere. De hac re agit *c. ult. h. t.* in quo peculiariter consideranda est dispositio quoad onus probationis. Scilicet in genere qui conditionem experitur ceu actor, probare tenetur se indebite solvisse, quæ dispositio etiam firmatur *l. 25. ff. De prob.* Quodsi adversarius denegat factum solutionis, et convincatur de accepta solutione, ipse et non amplius actor

tenetur probare debitum fuisse sibi, quod in solutione accepit. Ratio optima suppetit, quia nempe convictus de mendacio, talis aestimandus est coram lege, cui non credatur, nisi probet.

14. Quoad modum, tempus et materiam solutionis, cum specialis dispositio canonica non habeatur, servanda sunt principia juris civilis in iis præsertim quæ juri naturali evidenter cohærent. In genere si pacta adsint servanda sunt, nisi adsint curandum est, ne creditoris, pro quo ratio justitiae militat, jura lœdantur.

TITULUS XXIV.

De donationibus.

1. Donatio idem videtur esse ac doni datio et definiri potest: 'Rei licitæ nullo jure cogente in acceptantem facta collatio, vel datio'. Solet etiam definiri: 'Liberalitas nullo jure cogente in acceptantem collata'. Donatio igitur continet speciem liberalitatis; hinc vere donat qui aliquid suum nullo jure cogente alteri confert. Ex hac nota characteristicæ donationis sequitur, donationem non præsumi, sed probari debere a donatario. Nemo enim præsumitur velle suas facultates perdere, scilicet sine aliquo correspondivo alienare. Hinc potius præsumitur error, seu erronea solutio quam donatio nisi agatur de re hand gravis momenti, quæ a viro nobili, et divite tribuatur, vel nisi adsit remunerationis ratio. Donatio est collatio rei licitæ. Nam res illicitæ censemur esse extra commercium, unde nec vendi vel emi possunt. Quare qui donavit rem illicitam non potest adjici ad rem tradendam. Dicitur in acceptantem; nam non censemur completa donatio nisi fuerit acceptata. Quare pollicitatio nisi acceptetur non obligat promittentem, qui ante acceptationem alterius potest promissionem revocare, modificare suam voluntatem jam antea expressam. Hinc pariter si quis absenti donaverit, et demoriatur quin donatarius cognoverit donationem, et eam acceptaverit, donatio nulla est *l. 2. ff. h. t.*

2. Quod si vero donatio facta fuerit Ecclesiæ, vel pro causa pia, et fuerit rationalis, servanda est, quamvis non fuerit cognita et acceptata a rectore, vel administratore Ecclesiæ. Nam præsumitur acceptata a Deo saltem ceu piæ voluntatis seria deliberatio *can. 3. c. 12. q. 2.* Immo, si fuerit illegitime repudiata a prælato, vel rectore, Ecclesia habet beneficium restitutionis in inte-

grum, et etiam actionem contra rectorem repudiantem ad asse-
quendum quanti interest.

3. Ut donatio consistat, aliquando debet insinuari penes magi-
stratum jurisdictione pollentem. Insinuatio scilicet est declaratio
donantis apud judicem qua manifestat se aliquid donare ac petit
ut in actis publicis adnotetur donatio, et instrumentum de eadem
donatione conficiatur. Hæc insinuatio facienda est quoties donatio
500 solidos seu scutata Romana superat § 2. *Inst. h. t.* Quod si
negligatur insinuatio, sustinetur donatio usque ad 500 solidos; pro
reliquis vitiatur. Ita jus romanum non reformatum a jure ca-
nonico.

4. Donatio alia verbalis dicitur alia realis; 1^a. est promissio
per verba de præsente aliquid dandi vel præstandi ab alio acce-
ptata, 2^a. ea est in qua non solum res promittitur sed actu etiam
traditur. Secunda est completa donatio, qua dominium rei transit
in donatarium. Prior censetur nondum perfecta. Hinc per hanc
donationem non transit statim dominium rei sed solum jus ad ha-
bendam rem tempore congruo. Quare in traditione rei donans
non tenetur fructus aut usuras solvere, licet fuerit in mora tradi-
tionis. Accedit etiam alia ratio ne scilicet liberalitas sua dona-
tori nimis noceat *l. 9. ff. h. t. § 1.*

5. Alia est donatio, quæ dicitur inter vivos, alia fit mortis
causa. Donatio inter vivos est actus absolutus completus, vel
complendus in vita utriusque contrahentis. Donatio mortis causa
ea est, quæ fit a donante intuitu mortalitatis suæ, seu facta men-
tione mortis vel possibilitatis aut suspicionis ejusdem. Donatio
inter vivos in genere est irrevocabilis, perficitur enim ad modum
contractus inducentis obligationem.

6. At dantur in jure aliquæ causæ ob quas revocari potest.
1^o. Ingratitudo qualificata, quæque a juristis ingratitudo prægnans
dicitur. 2^o. Supervenientia liberorum. 3^o. Inofficiosa donatio. De
ingratitudine prægnante agit *c. ult. h. t.* in quo traditur quadru-
plici in casu eam verificari 1^o. si donatarius manus violentas in-
tulerit contra ipsum donantem, etiamsi id per mandatarium per-
ficiat. 2^o. Si donatarius atroces injurias contra eundem donantem
intulerit. 3^o. Si grave damnum non intentare solum, sed reapse
inferre ausus fuerit rebus seu patrimonio donatoris. 4^o. Si vitæ
insidias struxerit vel periculum procuraverit. Quibus in casibus
animadvertisendum est ex dispositione *c. ult. h. t.* revocationem

faciendam esse ab ipso donante, non vero jus revocandi transire
ad successores ejus. Ratio est quia donans qui revocationis actio-
nem non promovet censetur condonare injuriam sibi, vel bonis suis
illatam. Hinc revocatio ob ingratitudinem qualificatam censetur
esse actio personalis ipsius donantis. Animadvertisendum est etiam,
revocari non posse donationes inter vivos factas Ecclesiis vel
causis piis ob prælati ingratitudinem, vel administratoris Ecclesiæ,
vel cause pia. Prælatus enim, vel administrator non sunt ipsi
proprie donatarii, quorum sit consideranda ingratitudo sed ipsa
Ecclesia, vel causa pia est donataria.

7. Altera causa revocationis est si quis liberos non habens
donavit vel omnia sua bona, vel partem notabilem eorum, et de-
inde vel unum, vel plures suscipiat filios *l. 8. c. De Rev. Donat.*
Quia jus præsumit implicitam donationi esse conditionem 'nisi
superveniant liberi, quos præsumitur donans velle absolute extra-
neis præferre.'

8. Tertia causa est inofficiosa donationis ex integro *tit. l.*
de inoff. donat. Inofficiosa censetur donatio cum talis quantitas
patrimonii donatione distrahatur ut filiis non remaneat salva por-
tio legitima. Revocari autem potest donatio sive a liberis extan-
tibus tempore donationis, sive a supervenientibus, immo etiam post
mortem donantis. At hæc revocatio non destruit totam donatio-
nem sed coarctat ad id quod superest detracta legitima; seu re-
vocatio fit usque ad legitimam. *Novel. 92. et legg. 1. et 5. c. De*
inoff. donat.

9. Donatio mortis causa, seu contemplatione mortis facta, cen-
setur valere si donans decedat cum voluntate donandi. Quare quo-
ties revocaverit prorsus desinit esse. Consideratur scilicet donatio
hæc ceu species legati. Hinc relinqu potest non solum in testa-
mento sed etiam in codicillis nec incipit valere nisi morte donantis
fuerit confirmata.

10. Quoad personas quæ possunt donare quæstiones fieri pos-
sunt, quæ magis civiles sunt quam canonice, unam solum persol-
vemus quæ est, an clerici, et religiosi possint donare. Et primo
de Clericis. Profecto quæstio non est de rebus propriis clericorum,
in quibus ipsi aliis civibus æquiparantur, sed de bonis Ecclesiæ.
In *c. 2. h. t.* interdicuntur prælatis, et rectoribus Ecclesiarum do-
natio quæ magna sit. Ratio est: quia prælatus vel rector est ad-

ministrator et non dominus bonorum ecclesiasticorum. At justa interveniente causa servatis solemnitatibus juris, possunt prælati magnas etiam donationes facere, immo etiam de rebus immobilibus et mobilibus pretiosis. Hæc vero dispositio descendit ex conceptu donationis quæ exhibet contractum præjudiciale et veram alienationem. Hinc aliter factæ donationes possunt et debent revocari non solum ab ipso prælato donante, sed etiam ab ejus successoribus juxta ea quæ diximus in tit. *De Reb. Ecclesiæ alien. vel non.* Causæ sunt ratio remunerationis et ratio pietatis et misericordiæ. Quod vero legitima interveniente causa, et accedente juris solemnitate possit prælatus donationes etiam magnas perficere patet ex c. 5. h. t. in quo ex causa remunerationis probatur uti valida et licita infundatio, quæ refert speciem donationis. Porro possunt prælati et rectores donationes parvas facere ex mera liberalitate, licet nempe non adsit gravis causa, presertim ubi adsit consuetudo. Permittuntur vero hæc parvæ donationes etiam, ut avaritiæ suspicio ab Ecclesiæ ministris removeatur.

11. Si de religiosis sermo sit distinguendum est inter prælatos monasteriorum, et simplices religiosos. Prælati, cum censeantur habere ordinariam administrationem bonorum monasteriorum suorum et familiæ religiosæ, æquiparantur Clericis sacerularibus regimen Ecclesiæ alicujus habentibus, scilicet pastoribus Ecclesiarum. Hinc quoad superiores ordinum valet regula supra exposita in ordine ad prælatos sacerulares.

12. Religiosi vero, si administrant beneficium unitum Monasterio ex. gr. paroeciam, ex qua fructus et emolumenta derivant, possunt quidem parvas et ordinarias donationes perficere, presertim titulo eleemosynæ, non vero magnas. Ita Doctores communiter. Religiosi autem intra septa monasterii viventes, nec aliquo beneficio instructi, nullamque administrationem peculiarem exercentes, neque parvas donationes facere possunt absque superioris licentia saltem tacita arg. c. 6. *De statu monachor. et can. 11. c. 2. q. 1.* Censentur enim nullum jus habere circa res monasterii citra usum personalem ad propriam sustentationem. Hac in materia de prohibitione donationis religiosorum conferri possunt Const. Clem. VIII. *Religiosæ Congregationis*, et Urbani VIII. *Nuper a Congregatione.*

TITULUS XXV.

De peculio clericorum.

1. Clericus ex eo quod est Ecclesiæ mancipatus, de bonis ejusdem vivit, quorum bonorum regulariter habet etiam administrationem. At non prohibetur possidere bona quæ propria ejus sunt et constituant ejus peculium, idest privatum patrimonium. Nomine igitur peculii venit: ‘Quidquid clericus habet in bonis distinctum a bonis Ecclesiæ’. Quæ denominatio inducta est per similitudinem ad jus civile, juxta quod admittitur peculium servorum, et filiorum familias constans ex rebus distinctis a bonis domini vel patris. Ex hoc conceptu sequitur peculium clerici non subjici dispositioni tit. *De rebus Ecclesiæ alien. vel non.*

2. Quadruplex est peculium clericorum. Primum appellatur patrimoniale, et componitur ex illis bonis, quæ clericu[m] obvenerunt ex titulo aliquo civili ex. gr. successione, contractu, vel profana, sed non prohibita industria. Secundum peculium dicitur quasi patrimoniale, seu industriale quod componitur ex bonis quæ citra redditus beneficii sui, et absque intuitu beneficii sibi clericu[m] comparavit labore speciali vel honesta industria in muneribus ecclesiasticis obeundis, vel in officiis sacri ministerii adimplendis ex. gr. in praedicatione verbi Dei. Hoc patrimonium respondet peculio castrensi vel quasi castrensi Romanorum. Tertium peculium est parsimoniale, et resultat ex illis bonis quæ sibi clericu[m] comparavit subtrahens aliquid ex redditibus ecclesiasticis destinatis ad honestam vitæ sustentationem. Parsimoniale dicitur hoc peculium, quia parce vivendo illud sibi clericu[m] comparavit. Quartum est proprium dictum ecclesiasticum, et appellari potest beneficiale peculium illudque resultat ex fructibus bonorum Ecclesiæ, quos suos facit clericu[m] munia beneficii sui adimplens, et excedunt propriam clericu[m] sustentationem. Unde hoc peculium comparat sibi clericu[m] ex superfluis fructibus, vel distributionibus et ex redditibus pariter superfluis, quos ex. gr. parochus vi munera parochiali beneficio adnexi percipit cap. 9. *De test.*

3. Quæstio quæ prima a DD. proponitur est utrum clericu[m] cuiuslibet peculii habeant dominium seu proprietatem. Certum est clericos pleno jure possidere bona patrimonialis peculii ceu expresse docet c. 9. *de Test.* Ratio est quia in iis quæ clericu[m] assequitur ex titulo honesto, et proprio æquiparatur cæteris civibus,